

4

DECANUS  
COMMUNITATIS  
PHILOSOPHICÆ ET STUDII  
BONARUM ARTIUM  
IN ACADEMIA LI-  
PSIENSI

Ad

Solennem Magisterii Actum

SPECTATORES

HOSPITES

invitat.



## I. N. J.

**Q**uot Candidati, tot Sponsi: quot Sponsi, tot Sponsæ? alterum & prius jam assertum est; ad posterius negativè respondetur. De utroq; paulò diffusius, si placet. Sponsus, qui ex classe & Prædicamento Relationis procedit, pluscula, ut sit, quod est, requirit, pro debilitate nimirum Entium, quæ dictam classem occupant, ut sunt, vel pueris nota, subjectum, fundamentum idq; tam remotum, quàm proximum: quibus positus resultat Terminus, qui cum altero sororio ipsam infert Relationem. Applicemus. Nostri Sponsi suo gaudent subjecto, quod est homo ex sexu communiter masculino desumptus. Hoc ut capax relationis fiat, necesse est, sit affectum suis fundamentis; fundamenta autem ut sunt vel remota vel propinqua: ita hoc in loco variè sese diffundunt. Satis remotum fundamentum hujus tituli est, est tamen, esse legitimam sobolem quemq; parentum suorum, quot nostra volunt Statuta jurejurando à singulis Candidatis confirmanda. Dixeris hoc requisitum causam sine qua non? non errabis. Remotissimum & hoc est, esse capacem literarum, quod omnibus hominibus competit. Paulò contractius, meliore luto fictum & ingenio politiori præditum esse, quorsum judicii acumen cum fidelitate memoriæ. Rursus aliud ex remotioribus, consecratum esse Musis: propius, scholas cum Academicis permutasse & ita mediante juramento Academico studiosi nomen gerere. Et hoc: in illo statu Philosophicis incumbere aut incubuisse studiis eaq; sobriè imbibisse. Nondum satis, nisi addatur & fundamentum proximum, quale, post aut sanè per Baccalaureales honores ritè affectare nomen titulumq; Magistri, quod quidem non uno peragitur labore in frequentando, auscultando, respondendo, præsidendo, nec uno sed duplici Examine riguroso, quasi privato, & publico. Nec mirum. Dignitas rei & tituli

tituli ejusmodi labores postulat. Novimus enim ex sacris pariter  
 atque profanis, quid homines susceperint iussi, si dulce sponso-  
 rum nomen acquirere voluerunt. Jacobus patriarcha septennium  
 durissimorum servitiorum non abhorret: David extremo vitæ pe-  
 riculo, ut dotem determinatam offerat, Michalis amplexus lu-  
 cratur; Procos Homeri, Terentii aliorumque qui legit, pollicem  
 nobis premet, homines istos plusquam humanos superasse labo-  
 res, modò suum consequerentur amorum finem. Qvis vitio  
 nostris vertet procis, quòd tanta, tam dura & tam varia molian-  
 tur, ut sponso-  
 rum nomen tueantur? quis nobis, quòd tantas bonis  
 mentibus molestias imponamus. Utriusq; rei prægnans sanè ra-  
 tio extat. Post hæc igitur omnia emergit res ipsa titulusque  
 Terminusq; honorificæ Relationis, qui est & vocatur Sponsus,  
 quem frequentato nomine Candidatum appellant, deductâ ori-  
 gine inde à Romanis, quorum petitores honorum tenebantur  
 candidis induiti vestibibus Patronos suos comitari, unde ad Hono-  
 rum scholasticorum petitores idem transit nomen, & ab illis  
 quasi propriè nunc possidetur. Habemus Sponsum, habe-  
 mus Candidatum, imò plures sponso-  
 rum, si plures Can-  
 didatos. Nihil adhuc de Sponsa, quæ tamen vi Relationis  
 omninò infertur. Quid ergò hoc in loco Sponso respondet?  
 quæ Sponsa? Siltam ego & nominabo eam suo proprio què &  
 valdè illustri nomine: Sophiæ ipsi nomen est, dilatatum Philo-  
 sophiæ. Definiunt eam cum veteribus Philosophis ex Cicero-  
 ne, lib. 2. de officiis: Sapientia (cujus studium Philosophia) est  
 rerum divinarum & humanarum, causarumque, quibus hæ res con-  
 tinentur, scientia. Largiùs. Divina, si sacra intelliguntur & quæ  
 revelationis sunt, relinquemus Theologiæ manum in alienam  
 messem non immittentes; sin talia, quæ exempta sunt actioni  
 hominis, nec non quæ de Deo & divinis naturaliter nobis sunt co-  
 gnita, intenduntur, recipiemus in tantum divina illa intra sinum  
 nostræ Sophiæ & retinebimus. Accuratiùs ita philosophamur:  
 φιλοσοφία ἐστὶ γνῶσις τῶν ὄντων ἢ κατ' ἀνθρώπων τῆς οἰκίας &  
 δαιμονίας ἐνεκα, Philosophia est cognitio rerum tanta, quantam  
 humana mens assequi potest propriæ felicitatis gratiâ. Quando-  
 quidem autem & hujus non una ubiq; est facies, attende quæso  
 fucos, ne nubem pro Junone, ranam pro Diana amplexeris. Fu-

cus in Epicurea, apage lutulentam: fucus in Stoica, repudietur  
austera, acerba, dura: fucus in Academica, absit dubia, sola  
obtinet Peripatetica, eaque sobria. Sobria, inquam, nam & illa  
in suis principiis defectus suos, in Ethnico sequalore suos nexos,  
in abusu nocumenta sua fatetur, quorum illos suppleant doctio-  
res, istos corrigit fides Christiana, hæc tollunt saniores: nempe  
ne nostra sponsa in censuram Apostoli incurrat, quâ in Epist. ad  
Col. II, in Philosophiam graviter invehitur tanquam in meretri-  
cem ex dolis & fraudibus confutam: ne quis, inquam, vos decipiat  
per Philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem  
hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.  
Verba de rancida, fucata & ad abusum pertracta Philosophia,  
capiet, quatenus erronea in principiis suis continet, quæ pugnant  
cum Religione Christiana, nec non quatenus bona illius principia  
per abusum extra spheram suam contra Theologiam in arenam  
producantur, quo in lapsu excellunt sanè Scholastici, quod  
nemo non videt. Sobria igitur sola ex peripateticis scholis, &  
non fucata, sed & pia atque Christiana meretur, ut ambiatur, ut  
despondeatur. Argumenta amoris præ se fert pudica il-  
la, & nobis ista sunt in promptu. Amabilitas in ore & cor-  
pore, agilitas in artibus, venustas in vestitu, simplicitas &  
candor in corde, familia honesta in fronte. Truncus sit & Mar-  
pesia cautes, ab hac qui non afficiatur. Ecce partem Philosophiæ  
Theoreticam, cum capite, Metaphysica: cum collo, Mathema-  
tica: cum pectore, Physica: ecquid istis gravius? quid amabili-  
us? ecce artus, manusque pedesque; ceu instrumenta operationis, par-  
tē Practicam cum continuis Ethicarum virtutum exercitiis, cum ne-  
cessariis Rerum publicarum directionibus & subjectionibus, cum  
Oeconomicis laboribus & actionibus, quibus omnibus vita nostra  
beatè ducitur: nihil istis agilius. Ecce tibi externa corporis illius  
Philosophici vestimenta, ornamenta, quæ largiter suppeditat  
Rhetorica, Poëtica, quarum tota ratio in afficiendo, persuaden-  
do, attrahendo posita est: quid quæso venustius figuris illis, tropis  
illis, miris illis inventionibus & permovendi afficiendique am-  
bagibus? Solæ tamen hæc ne dominantur ornatu in merum luxum  
converso, ecce animum Philosophiæ internum, quam candidus  
ille

ille, quàm simplex redditur per Logicam! quæ cum corpus integrum penetret dirigatq; non committit, ut aliquid fuci, falsi, ambigui, sit in capite, in collo, in pectore, in manibus pedibusq;, sed suam omnibus veritatem eruit, confirmat, propugnat, retinet. Et ne ignores, cùjus illa generis atqve familiæ sit, ecce in fronte gerit Historicam, quâ se aliis aliaqve multa pandit, qui legere monumenta sustinent. Hæc est illa non ficta, attamen depicta à nobis Sophia, Philosophia, Sponsa, quam adamant meritò, quæ aliquid in se falsis habent. Porro una illa est, non multiplex, non singulis sui amatoribus singulæ, sed una omnibus, omnibus communis, omnibus sufficiens, ipsa tamen semper casta pudica & à prostitutione alienissima virgo. Quod mireris. Vix enim Republica mediocriter constituta plures uni uxori permisit maritos; plures uxores autem uni marito cecisse, non infrequens est & fuit quoque in regimine Mosaico. Et esto, receptum fuerit à barbarie. Turpe ipsum laxamentum totum, quantum quantum est. Nostra verò sponsa cedit uni, cedit multis, quantum uni, tantum multis, nec impudica redditur. Ut omninò repetamus: quot Candidati, tot Sponsi; determinemus: una sponsa, plures sponsi, una Sophia, plures Philones.

Ejusmodi procos & Sponsos castos, pios, veros producimus num. XXII. in theatrum Philosophicum, ut cum virgine sua, sua sponsa, sua sophia, ex voto & non sine votis aliorum, ritè & legitime mediante annulo arrhabone affectûs sinceri & vinculi indissolubilis à nobis illis porrecto copulentur. De quibus testamur, quòd omnes partes Sponsorum expleverint, utpote qui à juventute ita literas Philosophicas sub vita tranquilla atq; honesta excoluerunt, ut iisdem impleverint pectus suum: qui porrò ritè ambierunt dilectam hanc suam, quando sponsalia cum eadem in Baccalaureali Promotione aut antehac celebrarunt publicè & solenniter, aut in eo sunt, ut ante copulationem Magisterialem adhuc affectent: qui nomina sua dederunt tempestivè, seseque Tentaminibus, Examinibus aliisq; exercitiis Philosophicis subjecerunt: qui tandem tam habiles inventi sunt, ut properet Cancellarius Reverendissimus & Illustrissimus per Procancellarium Spectatissimum, ut gestiat ipsum Collegium Philosophorum per

Decanum suum nuptias sponſis ſuis inſtruere. Prodeant, ut  
internofcantur, ordine noſtri ſponſi, Philoſophi, Candidati, quo-  
rum nomina conſignata dabimus: Sunt igitur

JOHANNES HEINRICUS LÖHMANNUS,  
Cizenſis.

SIMON CHRISTOPH. ERFFURTH,  
Weiſſenfellenſis.

THOMAS ITTIGIUS, Lipſienſis.

ANDREAS THILO, BELGERSHAIN.  
Miſnic.

JOHANNES CHRISTIANUS Hetzer/  
Lipſienſis.

VVOLFEGANGUS VVILHELMUS  
Heſſe/Seelicenſis Miſn.

JOHANNES STOHRIUS, Ablaffen-  
ſis Miſn.

GEORGIUS Jenichen / Pirnenſis.

CHRISTIANUS Weiſe / Zittâ Luſat.

FRIDERICUS AUGUSTUS Ilgen/  
Brettinenſis Saxo. JO-

JOHANNES ABEL Schreck / Osfiti-  
ensis Misn.

GODOFREDUS Müller / Stolber-  
genfis Misn.

CHRISTOPHORUS ECCARD, Lipf.

Gotwald HEYDENIUS, Kirchbergâ  
Misn.

CHRISTOPHORUS Schütz / Döbel.

CHRISTIANUS HEINRICUS MILDE-  
HAUPT, Delmenhorft.

CASPARUS Haberman / Witmun-  
dâ Frifo.

ANDREAS Christ / Mifenâ Misn.

JOHANNES GEORGIUS Franck /  
Ileburgenfis.

JOHANNES CHRISTIANUS HIPPIUS,  
Pirnenfis.

DANIEL Hartzendorff / VVurzenf.

GÜNTHERUS Meyerhoff / Qverf.  
His

His n. XXII. omnibus ac singulis pro merito nuptiæ Philosophicæ  
à nobis crastino die, benignè cōcedente Deo, paratæ sunt atq; in-  
structæ, in quibus nihil necessariorū omitemus. Nunc prospicien-  
dum sponſis nostris est à nobis de honoratis Hospitibus & Spe-  
ctatoribus, qui intersint suâq; præsentia Actum reddant illustrio-  
rem, & prandium subsequens Aristotelicum frequentare dignen-  
tur. Eâ igitur, quâ par est ac decet, humanitate & solitudine  
rogamus Magnificum Academiae Rectorem, proceres utriusque  
Reipublicæ aliosq; ex aliis statibus, ut sepositis gravioribus nego-  
tiis CRAS ab HORA VIII. matutina copiam sui in Auditorio Col-  
legii Majoris Principum nobis faciant, ituri inde rectâ ad locum  
prandii: quo ipso magnam auctoritatem Actui conciliabunt,  
Dn. Candidatis affectum declarabunt, totumq; nostrum Colle-  
gium Philosophicum sibi ad quævis officia reddent obstrictissi-  
mum. Quod sanctè nos his ipsis, accepto beneficio, pollice-  
mur. De præsentia Nobilissimorum & Humanissimorum  
Studioforum Spectatorum exoptatissimâ nulli dubitamus.

P. P. die XXVIII. Januar. Anno repar. salut.

M DC LXIII.

*Literis Colerianis.*

